



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Cap. V. De examine particulari.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)

CAPUT V.
DE EXAMINE
PARTICULARI.

S. P. N. Ignatius, ratione & experientia nixus, hanc exercitationem adjumentorum omnium, quæ à parte nostra ad proficiendum in spiritu afferri queunt, primum esse ac præstantissimum judicavit; tantique fecit, ut oratione eam ac meditatione quodammodo utiliorem duceret, & antiquiorem haberet. Nec immeritò; cum per illam executioni mandanda, & opere implenda sint ea, quæ in matutina commentatione concepimus, proposita. Ejus ergo usum ut nobis familiarem reddamus, 1. illius *præstantiam*, 2. illius *praxin* præsentis capite ob oculos ponemus.

§. I.

§. I.

Ejus Præstantia.

I.
Est effica-
cissimum
remedium
eradicand-
di vitia.

I. **E**Xamen particulare (usitatum Ascetis nomen) est cura singularis peculiare quoddam vitium eliminandi, aut aliquam speciatim virtutem adipiscendi. Quantæ id præstantiæ sit, inde elucet, quod tanquam efficacissimum eradicandis defectuum loliis instrumentum à SS. Patribus insolitis laudum encomiis super astra efferatur.

In Syria Basilius, (a) in Ægypto Antonius, (b) in Numidia Augustinus (c) illius usum velut inæstimabile vitæ spiritalis arcanum suis asseclis summo verborum pondere commendârunt. Idem seculis temporibus in Europa præstiterunt Bernardus, (d) Bonaventura, Cassianus, (e) aliique cum Doro-

(a) Serm. I. de renunt. sæc. & spirit. prof.
(b) Sozomenus lib. I. Hist. tripart. c. 11. & Nicephorus lib. 8. c. 4. (c) Lib. 50. homiliarum. hom. 24. (d) In Specul. Monach. (e) Collat. S. Abb. Serapionis c. 14.

Dorotheo; (f) dum illud velut latentem ingentis pretii thesaurum posterorum custodiae curaque crediderunt. Demum Ignatius, magnum illud Ecclesiae lumen, ejus praxin occupationem suo Ordini propriam esse voluit, ac per omnes quatuor mundi plagas Sociorum adminiculo propagavit.

Ut autem efficacia hujus tam praestantis remedii oculos pleno lumine feriat, ac penitus cognoscatur, finge, etiam tibi accidere, quod Giezi, ministro Elisei, olim evenisse sacrae Paginae memorant; cum, *consurgens diluculo, vidit exercitum in circuitu civitatis & equos & currus*; (g) finge, inquam, etiam te multiplici ac densato vitiorum agmine temet circumdatum cernere ac infestatum, summasque in angustias redactum. Nihilominus, hujus exercitii praesidio armatus si fueris, *noli timere*; (h) illud enim erit tibi *galea salutis*, (i) *clypeus*

(f) Doctr. 10. Item Serm. 11. de poenit. (g) 4. Reg. 6. v. 15. (h) Ibid. v. 16. (i) Isa. 59. v. 17.

pens fortium, (l) *gladius Domini*, (m) quo securus hostium iras ac tela rundes, animique tui Madianitas, Ge-
deone major, ultrici interneccione delebis.

Finge, te esse illum agrum hominis pigri, quem totum repleverant urtica: aut illam vineam viri stulti, cujus superficiem operuerunt spinæ; (n) verbò: cordis tui aream merum esse sentie-
tum tot tribulis, quot pravis motio-
nibus sylvescens. Hoc non obstan-
te, *noli timere*; hujus examinis sarculo
usus si fueris, brevè erit *anima tua quasi
hortus irriguus*, (o) imò quasi *hortus
voluptatis*, (p) seu *paradisus malorum
punicorum cum pomorum fructibus*, in
quo, divino flante Austro, ubertim
fluent aromata virtutum. (q)

Demus denique prava te, feroci,
alteram jam induta naturam, eaque
multijuga peccandi consuetudine velu-
ti

(l) Nah. 7. v. 20. (m) Judic. 7. v. 20.
(n) Prov. 24. v. 30. (o) Jer. 31. v. 12. (p)
Joël. 2. v. 3. (q) Cant. 4. v. 13, & 16.

tibi catena magna (r) vinctum esse, ac irretitum. Ponamus, etiam te cum Paulo ingemiscere: vah! tristem captivæ voluntatis servitutem! qua non, quod volo bonum, hoc ago; sed, quod nolo malum, illud facio. (s) Verùm noli timere, modò hanc exercitationem tibi familiarem reddas, eâdem, qua Samson, facilitate cunctos funes, & injecta disrumpes vincula, quomodo si rumpat quis filum, de stuppæ tortum putamine. (t)

Imò licèt dominans tibi dira tyrannide affectio quasi statua illa magna ac sublimis, quam Nabuchodonosor in somnis viderat, staret contra te cum intuitu terribili: (u) aut quamvis ea velut arbor illa magna & fortis in medio cordis tui virentes ramos quaquaversum luxurianti fastu protenderet: (x) aut licèt cum Goliatho tibi gigantea rabie insultaret; tamen unicum hoc adjumentum si constanter adhibueris, experi-

(r) Apoc. 20. v. 1. (s) Rom. 7. v. 15.
 (t) Jud. 16. v. 9. (u) Dan, 2. v. 31. (x)
 Dan, 4. v. 8.

experieris id esse illum lapillum, securim, ac victricem Davidis fundam, qua istam statuam, arborem, ferumque gigantem levi brachio dejicies, excindes, prosterne.

Ratio in promptu est; nam unica hac industria, si rite usurpetur, veluti bellico stratagemate hostium vires dividuntur, arcentur, infringuntur; nostræ verò junguntur, augentur, animantur. Quo fit, ut quævis vitia, utut magna ea sint, & ob ætas jam radices pertimescenda, minori tamen molimine debellantur, hoc ipso, quòd viritim impugnentur.

Rei veritatem teste historia naturæ imitatrix experientia docet. Sic Alexander magnus, cùm Euphratem ob alvei vastissimi rapiditatem, naviumque penuriam cum suo victore exercitu transnatare nequiret, eundem in minutos Euphrates dissectum, ac plures in rivos partitum, facili labore superavit. Pari modo etiam ille, qui collecta in fascem bacilla frangere unico

unico nisu minimè valuit, singula mediocri conatu in frustra comminuit. Sicut enim vis conjuncta fortior usque fuit, sic divisa debilior communi suffragio semper audiit, & etiamnum est.

Idem præsentì in negotio evenit; cum etiam hic rebellans defectuum robur, varias in partes distractum, haud parum enervetur; in nobis verò pugna ardor insigniter intendatur. Dum enim intellectus aliquo temporis spatio unum semper idemque vitium singillatim fugiendum designat; dum unum illud nominatim accusat, reprehendit, damnat: illius unius foeditatem, malitiam, gravitatem & nocumenta perpendit, ac meditat; oppositamque illi virtutem unicè laudat, extollit, suadet; fieri nequit, ut non etiam voluntas ad malum illud declinandum efficacius inclinetur, & pia importunitate quasi victa, vitare tandem statuat, quod averfandum esse, intellectus tot argumentis docet, tot stimulis urget.

Contrà verò hoc ipso , quòd blandienti noxæ à veritate fallax veri larva detrahatur : à ratione prætenfum boni pallium eidem eripiatur , sicque nudata , animæ detestanda palam exponatur ; fieri nequit , ut illius lenocinans virus , imminuto nervo non multùm debilitetur , ac infractum vaneſcat ; adeóque ut exinde non plurimum nobis hac in pugna firmitatis accedat.

Præterea mens nostra (quæ debilis ejus abjectaque conditio est) si multa simul exigantur ab illa , mox ea impotentiam , nescio , quam prætexendo , rem imperatam tepidè solùm ac nauseanti diffidentia , quasi eventum desperans , aggreditur. At verò si unum solummodo separatim ei explendum imponas , eadem lætam in spem erecta , illud ipsum tanquam possibile sibi & facile exequi animosa constituit , ac æmulo ausu in rivale vitium generosa assurgit. Quod ipsum magnum armis pondus , speratæ autem victoriæ pernices alas addit.

Ex

Ex quo examinis hujus maxima in extirpandis navorum loliis efficacia, adeoque & præstantia abunde elucet; cum per illud, quantum hostibus virium decedit, tantum nobis felici auxilio accrescat.

II. Quid? quòd insuper ingenti nobis subsidio sit omnis generis virtutes animis inferendi. II.
Et acqui-
rendi vir-
tutes. Cum enim voluntas non possit non affici, & pio motu propendere erga illud, quod unum semper & singillatim amandum ei, & sectandum intellectus proponit, ac diutino labore inculcat; manifestum est, maximo hanc praxin adminiculo esse ad eas eminenti in gradu consequendas.

Potens autem speciatim adjumentum est acquirendi solidam DEI ac nostri ipsius cognitionem, seu intimam quamdam tum propriæ infirmitatis ac imbecillitatis, tum Divinæ Bonitatis ac Misericordiæ notitiam. Quæ notio gemina est basis, cui tota perfectionis moles innititur. Quomo-

do autem duplex hoc bonum ex isto, quod suademus, exercitio eliciatur, ex mox dicendis patebit.

Ponamus, magno conatu huic te operi accingere, fixumque tibi esse non prius vela complicare, donec ope hujus industriæ etiam tu cum Saule *in virum alium muteris*. (y) Proin statuis singulari cura peculiare quoddam vitium per diei decursum vitare, aut aliquem adversæ virtutis actum exercere. Conceptum animi propositum ipso Christi sanguine, impresso velut sigillo obsignas: Cœlites rei testes facis; quin ultro, si fidem fallas, Nemesei plectendum te offers.

Et en! instituta sub meridiem mentis indagine, deprehendis, te nil horum, quæ tam firmiter decreveras, observasse, egisse, vitasse. Itaque dolens, & meliora proponis. Saltem à prandio rem effectui te daturum certo spondes. Et nihilominus sub vespere ad animi tribunal redux, in
iis

(y) 1. Reg. 10. v. 6.

iis ipsis iteratò prolapsum te compe-
ris, quæ corrigere adeò sanctè con-
stitueras.

Edic jam, an non hìc tuam debili-
tatem oculis manifestè usurpas? infi-
delitatem manibus palpas? miseriam,
fragilitatem, inconstantiam ipso opere
sentis, & exercitatè experiris? An non
tot lapsus deprehendendo, illorum nu-
merum computando, ac inter se con-
ferendo, rubore suffusus, ingemiscere
cogeris: ô ardens sanctitatis nostræ
zelotes DEUS! ah! paulò ante *juravi,*
& *statui custodire judicia justitiæ tuæ;*
(z) & en! mox iterum *dereliqui ju-*
stitias, quas proposui mihi: (aa) Petrum
imitatus, qui eadem nocte Christum
ter negaverat, quocum paulò ante *in*
carcerem & in mortem se iturum pro-
miserat. (bb)

Nempe omnis bona voluntas nostra
sicut luna mutatur, (cc) & quæ dilu-
culo *sicut flos egreditur,* statim iterum

T 3

conte-

(z) Psal. 118. v. 106. (aa) 2. Paral. 7. v. 19.
(bb) Luc. 22. v. 33. (cc) Eccli. 27. v. 12.

conteratur, & fugit velut umbra. (dd)
 O quàm practica hæc sui agnitio est!
 quàm fallax minimè speculum est, ex
 quo nostrum impotens nihilum toto
 se, absterfo omni fuce, tralucet.

Contrà verò hac ipsa occasione ad-
 mirari, & adorare discimus *divitias*
bonitatis, (ee) misericordiæ, ac patien-
 tiæ optimi Numinis, qua tot errores
 nostros clemens dissimulat, & toties
 delinquentes, non solùm non reprobat,
 fastidit, damnat; sed benignè sustinet,
 errantes etiam revocat, lapsos erigit,
 & velut filios paterno sinu complexus,
 amanter stringit, fovet, nutrit. Ex
 hac autem gemina DEI, suiq̄ue noti-
 tia, velut ex detecto paradisi fonte,
 ubere vena profluit intima cordis de-
 missio, ac omnimoda de propriis vi-
 ribus diffidentia, qua homo propriam
 infirmitatem multo usu expertus, &
 de ea plenè convictus, ob instabilem
 adeò vacillantis animi conditionem in-
 fra lutum se abjicit, contemnitq̄ue.
 Simul tamen divinam erga se benigni-
 tatem

(dd) Job. 14. v. 2. (ee) Rom. 2. v. 4.

tatem contemplando mentem attollit,
 & spei anchoram in gratia solidando
 se solatur illo Isajæ vaticinio: *qui spe-
 rant in Domino, mutabunt infirmitatem
 in fortitudinem, assumunt pennas sicut
 aquila, current ad perfectionis bravium,
 & non laborabunt: ambulabunt in virtu-
 tis semita, & non deficient.* (ff)

Præterea ope hujus exercitationis
 celerius nobis advenit optata animæ
 puritas, quæ à Christo inter octo bea-
 titudines reponitur illis verbis: *beatè
 mundo corde, quoniam ipsi DEUM vi-
 debunt.* (gg) Mentem autem puram
 cum nomino, thesaurum indico omni
 bonorum genere abundantem. Hæc
 enim est illud *speculum sine macula,*
 (hh) quod gratiæ radios fidelius col-
 ligit. Hæc illud *mare vitreum simile
 crystallo,* (ii) quod perenni malacia
 gaudet. Hæc illa *pretiosa margarita,*
 (ll) qua emitur *regnum DEI,* quod
 est *justitia, & pax, & gaudium in Spi-
 ritu*

T 4

ritu

(ff) Isa. 40. v. 31. (gg) Matth. 5. v. 8.
 (hh) Sap. 7. v. 26. (ii) Apoc. 4. v. 6. (ll)
 Matth. 13. v. 45.

ritu Sancto. (mm) Verbo: corde mundi sunt illi *beati*, qui soli peculiari prerogativa ad *cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* (nn) Qui soli singulari privilegio *sequuntur Agnum*, quocumque *ierit*, eò quòd *sine macula sint ante thronum DEI.* (oo) En! quanta bona hujus unius examinis industria pariat, dum solam nobis animi mundiciam affert.

Denique exercitium hoc permagnum acquirendæ sanctitudinis compendium est; dum enim uni virtuti hac particulari diligentia ita studemus, omnibus studemus. Et dum unam obtinemus, ob sororiam, quæ inter eas intercedit, connexionem omnium potimur. Nam perfectionis studium confecta ex pluribus annulis catena est. Quo fit, ut tracto uno, attrahantur & reliqui. Agite ergo, (ad æquitatem vestram appello) edicite, quid, quæso, solidius dici, quid efficacius afferri ad commendandam hujus

(mm) Rom. 14. v. 17. (nn) Ayoc. 19. v. 9.
(oo) Apoc. 14. v. 4. & 5.

jus praxis proficuum adeò præstantiam possit?

Itaque morem geramus S. P. Ignatio, ejus usum velut unum ex præcipuis virtutis solidæ adjumentis tantopere inculcanti. Reputemus apud nos, id ipsum hodie etiam nobis evenire, quod olim magno Judæ in somniis accidisse sacræ Paginæ memorant; animis, inquam, repræsentemus Ignatium (nam & *hic vir bellator est ab adolescentia sua*) (pp) protensa è cœlis dextera hanc methodum nobis velut *gladium aureum* porrigentem, ac illis ipsis, queis tunc Jeremias Machabæum, verbis nos animantem: *accipe sanctum gladium munus à DEO, in quo dejicies adversarios tuos.* (qq) Hic enim cum peculiari defectu singulariter bellandi modus est *gladius ille magnus ex utraque parte acutus*, (rr) *pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum*, (ss) *eradicans*

(pp) 3. Reg. 17. v. 33. (qq) 2. Mach. 15. v. 16. & 17. (rr) Apoc. 1. v. 16, & c. 6. v. 4. (ss) Hebr. 4. v. 12.

dicans omnes etiam intimè infitas
navorum fibras. Est quoque *mu-*
nus à DEO prorsus excellens; cùm
sit unum ex efficacissimis vitia extir-
pandi remediis.

Itaque sicut tunc *his sermonibus bonis*
valde exhortati Juvenum animi statue-
runt dimicare, & conflagere fortiter;
(tt) ita & nos hoc gladio spiritus arma-
ti, (uu) hac armatura fortium muniti,
(xx) decernamus animosè præliari præ-
lia Domini, (yy) animique hostes fun-
ditus profligare. Nec inferamus crimen
glorie nostræ, ut fugiamus ab eis; (zz)
neque citiùs à pugna desistamus, donec
penitus deleantur. (w)

At dices : quid opus est singulari
cum vitiorum quolibet certamine?
Universa simul, præcipitata omni mo-
ra, junctim aggrediar, ac una vi, uno
impetu fracta, unico die internecina
clade cuncta audax exterminabo. Ve-
rùm

(tt) 2. Mach. 15. v. 17. (uu) Eph. 6. v. 17.
(xx) Cant. 4. v. 4. (yy) 1. Reg. 25. v. 28.
(zz) 1. Mach. 9. v. 10. (w) Deut. 7. v. 23.

rùm ô temerarie! etiam tibi dictum existima, quod olim à Moysè Israeli: *non poteris eos delere pariter, sed paulatim, atque per partes consumes eos; (aaa) majores enim, & fortiores te sunt. (bbb) non vales resistere, nec pugnare adversus eos, (ccc) in unum manipulum sociatos. Nisi allatæ praxis solertia eorum vires diviseris, actum ages: Sisyphi saxum volves. Post diuturnum laborem etiam tu cum Christi discipulis lamentari cogeris: per totam noctem laborantes nihil cepimus. (ddd)*

Sic itaque, ô perspicax mentium scrutator DEUS! agnitæ veritati palmam victus cedo. Utar deinceps quotidie, quamdiu vixero, hoc tam insigni adjumento obtinendæ brevi tempore perfectionis. Illud posthac mihi erit (Superos testes volo) *firmamentum virtutis acquirendæ; tegimen ardoris concepti, umbraculum contra pedicas dæmonis meridiani, & adjutorium con-*
tra

(aaa) Deut. 7. v. 22. (bbb) Deut. 11. v. 23.
(ccc) 1. Reg. 17. v. 33. (ddd) Luc. 9. v. 5.

tra pericula gravioris casûs; quin imò erit mihi gradus *exaltans animam*, *fidus illuminans oculos*, *pharmacum dans sanitatem & vitam & benedictionem*: (eee) sanitatem mentis, vitam gratiæ, gloriæ benedictionem.

§. II.

*Examiniis particularis usus
seu praxis.*

I.
*De ejus
materia.*

I. **A**Ntequam hanc declarem, ordo postulat, ut priùs explicem, quibus de rebus instituendum id sit. Illius ergo materia erit 1. ille speciatim defectus, qui præ aliis nos infestat, cordique dominatur; qui veluti dux aliorum & antesignanus est: à quo tanquam radice ferè omnes alii fœcundo germine enascuntur: qui maximè noceivus nobis, & majori consequendæ perfectionis impedimento est; qui denique nos proximè ad lethalem noxam perducit, viamque ad illam

lam complanando, insidias eò magis timendas, quò minùs patentés struit.

2. Quodsi nulla vehementior affectio rationis imperium turbet, nullumque nos vitium arctiùs sibi mancipatos teneat, inquirendum erit, qua acuratione peragi soleant præscriptæ spiritûs functiones? id est, qua solertia meditationi, & sacrae lectioni vacetur? conscientia excutiatur? sensibus invigiletur? Numen Eucharisticum quoties, quàmque ardentè visitetur? præsertim verò quo fervore Religionis nostræ mysteria usurpari consueverint? An non tepor aliquis irrepserit? quænam tentatio animum pulset acriùs? qua intentionis sanctitate actiones quotidianæ obeantur? an non mens in res externas nimium effusa, rarò secum, rariùs cum DEO habitet?

3. Si verò nullæ ejusmodi viperæ sub herba abditæ nidulentur, illi singillatim virtuti obtinendæ incumbendum erit, qua potissimum indigemus, aut quam certa rerum adjuncta in præsentia

sentia præ reliquis necessariam nobis, aut saltem proficuum fore præfago omine vaticinantur. Sicut enim Jeremias non solum constitutus fuit, ut *evellat, & destruat, disperdat, & dissipet; sed etiam ut ædificet, & plantet;* (a) sic neque nobis conatus omnis in extirpandis pravæ cupiditatum urticis est infumendus, sed insuper fragrantis demissionis violæ, purpureæ charitatis rosæ, candida castitatis lilia cordibus sunt inferenda. Præcipuè cum contrario æmulæ virtutis studio non rarò ejusmodi monstra & suaviùs expellantur, & citiùs cicurentur. Hujus proin exercitii materia est vel extirpatio cujusdam speciatim defectûs, aut acquisitio alicujus singillatim virtutis.

II.
Utilia
hanc in
rem moni-
ta.

II. Ut autem eò certiùs ac expedi-
tiùs voti damnemur, selecta, quæ sub-
jungo, documenta erunt apprime no-
tanda. 1. Ille navus hoc armorum
genere ante alios oppugnandus erit,
qui proximos notabiliùs offendit, eis-
que

(a) Jerem. 1. 7. 10.

que incommodo, aut fors etiam peccandi occasio est. Cùm enim biceps hoc malum sit, utpote duplicis causa lapsus proprii nempe & alieni, charitas imperat, ut in illud primam aciem dirigamus.

2. Cavendum tamen, ne in externis ejusmodi vitiis sedulò corrigendis toti simus, ac tempus omne teramus. Cùm enim *omnis gloria filie regis*, seu animæ sit *ab intus*, (b) primarius labor noster eò rendere oportet, ut internæ animi motiones ad recti normam inflexæ regantur, utque rebelles appetitus coërciti edomentur. Nam intimis his animæ rotulis bene ordinatis, etiam exterior horologii index rite suo munere fungetur, aliisque molesti mores suapte natura ad honesti regulam componentur.

3. Cùm ideo multi tam parum hoc adjumento proficiant, quia illud non ei, cui oportet, applicant malo; hinc ritu peritioris medici ipsa morbi radix
foli-

(b) Psal. 44. v. 14.

solicité investiganda, eique uni mox evellendæ omni vî insudandum erit. Si enim luxuriantes solummodo ramos, relicta stirpe, amputes, paulò post truncus redivivo vigore repullulabit, & latius succrescet. Si autem ipsas lolii fibras inexorabili dextra extirpes; si malæ arboris radicem vindex securis præcidat, etiam extima subtracto succo arescent, & sua sponte flaccescent.

Rex Syriæ, cum Achab bello decertaturus, præceperat ducibus equitatus sui, dicens: *ne pugnetis contra minimum aut contra maximum, nisi contra solum regem Israël;* (c) ratus, victo, & necato rege, reliquum vulgus prono Marte debellatum iri. Id ipsum & nos par est imitari; nam principe vitio fortiter profligato, cætera facili negotio succumbent, & victa cedent.

Proin sicut hostes arcem ex ea, qua debilior est munimentorum parte aggredi consueverunt; sic etiam nobis
 sedu-

(c) 2. Paral, 18, v. 30.

sedulo explorandum erit, quonam ex morbo anima nostra infirmior decumbat? quæ mala consuetudo altius menti infixæ hæreat? quænam appetitio insolentius ei dominetur? & mox contra Adversarium hunc nostrum, & quidem contra hunc solum omnes virium copias in aciem educamus. dico: *solum*; nam

4. Super una solummodo re hoc examen instituendum erit. Sicut enim solares radii, in unum speculi focum coacti, vehementius urunt, & citius subjectam sibi stupam incendunt; sic & unitum animi robur eò velocius solitarium ejusmodi sternet inimicum, ac profligabit. Quin imò ipsum hoc peculiare vitium non simul omne totum, sed suas in partes ceu gradus dissectum, erit persequendum; ut diviso hac arte, & infracto hostili nervo, breviori via, quod intendimus, assequamur.

5. Denique materia hujus exercitii non facile est mutanda. Ideo enim

nonnulli tam parum inde fructus percipiunt, quia defultoria quadam levitate ab una re ad aliam volatici transfiliunt, interrupto solum & semi-serio impetu hostem impetunt, facileque defatigati ab incepto mox iterum desistunt, *semper discentes*, (ut ait Apostolus) *& nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*: (d) *semper pugnantes, & nunquam vincentes.* Durare oportet, ac mentem in omnes pugnae casus obfirmare; sique etiam labi, vincique nos contingat, surgere denuo & alacriori ausu contraire nos decet, cum regio Vate dicendo: *persequar inimicos meos, comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* (e)

Porro tamdiu in cepto hoc singulari conflictu pergendum erit, donec rebellis, quam oppugnas, vipera ita debilitetur, ut, mox ac caput in altum erigere tentarit, statim iterum levi brachio & quidem sine mora solo rationis imperio, Herculea veluti clamore

(d) 3. Timoth. 3. v. 7. (e) Psal. 17. v. 18.

va, retundi queat. Quippe hæc defectuum monstra planè omnino & ita, ut ampliùs haud sentiantur, exterminari humanis viribus non possunt. Sufficit ergo ea ita frangi, reprimique, ut impedimento esse definant in iis, quæ nos facere par est, exequendis.

His tamen non obstantibus, consultum est, ut primaria examinis hujus materia subinde ad breve tempus pro rerum diversitate, vel animi dispositione interrumpatur, rædiiq̃ue levandi causa cum alia commutetur. Ita tamen, ut post aliquot hebdomadas denuo ad prius institutum redeatur, & capitali antagonistæ, resumptis auctisque animis, bellum acriùs inferatur.

lib 6. Ut autem Princeps dominantis noxæ castellum eò citiùs expugnemus, geminus præterea aries adhibendus erit, oratio scilicet, & sui afflictatio. Casiani hoc monitum est, in hæc sensa scribentis: *adversus illum, quem prin-*
cipalè

cipali certamine impugnas nevum, quotidiana jejuniorum dirige spicula: contra illum cunctis momentis cordis suspiria, cunctosque adversus illum vigiliarum labores ac meditationem tui cordis impende, indesinentes quoque orationum ad DEUM fletus funde, & ejus extinctionem ab illo specialiter & jugiter posce. (f)

Proin non solum tempore commentationis matutinæ aut lectionis quotidianæ ejus vitandi incitamenta sunt serio perpendenda; sed insuper de die sapius ignea mentis tela cœlum versus jaculanda erunt, piè ingemiscendo: ô Domine! da castitatem, obedientiam, aut charitatem. Idem à Numine Eucharistico interdium frequentius ac supplici gemitu instanter erit flagitandum. Hunc in finem ipsa quoque potentissima astrorum Regina peculiari cultu erit honoranda, aliique Sancti suffragatores adhibendi. Nisi enim focii veniant ad classica Divi, qui gratiæ nobis subsidia exorent, in vanum laborabimus: ad irritum cadet omnis certatio nostra. Ut

(f) Cassianus collat. 5. Abbat. Serap. c. 14.

Ut autem hæc desideria eò faciliùs
 nubes penetrent, nostræque orationes
 ab illo Apocalypsis Angelo *in thuribu-*
lo aureo super altare aureum ante thro-
num DEI (g) offerri mereantur, mo-
 desta quædam de se ipso diffidentia eas
 pedissequo gressu comitari oportet.
 Nam (ut vaticinatur coronatus Psaltes)
qui confidunt in virtute sua, & in mul-
titudine divitiarum suarum, (h) inani
 sua spe delusi certò deficient. Ad-
 jungenda hoc intuitu eisdem præterea
 erunt varia corporis cruciamenta, puta
 jejunia, flagella, cilicia, aliæque his
 similia pietatis exercitia, quæ ingens
 precibus addunt pondus; uti expertus
 est Daniel, qui propterea à Gabriele
 audire meruit: *quia posuisti cor tuum,*
ut te affligeres in conspectu DEI, exau-
dita sunt verba tua. (i)

III. Porro modus seu ordo insti-
 tuenda hujus exercitationis sequentia
 complectitur puncta. 1. Inprimis in-
 choandum est hoc spiritale prælium

III.
 Hujus
 examinis
 ordo seu
 modus.

U 3 à se-
 lub

(g) Apoc. 8. v. 3. (h) Psal. 48. v. 7. (i)
 Dan. 10. v. 12.

à serio, ferventi, eoque firmissimo emendationis proposito, manè concipiendo, & sub meridiem instaurando. Nam (ut docet Kempensis) *secundum propositum nostrum est cursus profectus nostri.* Illud si debile fuerit, oscitans & torpens, etiam hic testudineo gradu marcescet. Imò si etiam fortiter aliquid proponens, nihilominus saepe deficit, (ut testatur idem asceta) *quid fiet illi, qui raro aut minus fixè aliquid proponit?* (1) Tepida enim & pigra ejusmodi voluntas vel mox oblivioni dabitur, aut ob varia, quæ occurrent, obstacula facilè mutabitur.

Ubi tamen notandum est, hoc animi statutum non ad universum vitæ tempus extendendum esse; (aliàs hac annorum mole obruti, perterritique correctionem desperabimus) sed ab uno solùm semidie ad alium, nec ulterius prorogandum erit; ut ipsa moræ hujus brevitate ad constantiam in bene cœptis eò potentiùs animemur. Nec dubium est, ideo nonnullos adeò parum

(1) Lib. I, c. 19.

rum hoc in negotio proficere; quia hujus documenti ut plurimum incuriosi vivunt.

2. Alterum est, ut vigilans quædam animò cura exequendi hujus decreti interdium foveatur. Quæ in eo consistit, ut per diei decursum moderatam ejus discretamque memoriam nutriamus, & in omnes ejus perficiendi occasiones vigili oculo velut è specula intendamus, non solum labendi pericula sollicitè providendo, cautèque declinando; sed præterea etiam incitamenta, quæ ad ejus observationem alliciunt, corde identidem ruminando, omnemque opportunitatem oppositæ virtutis exercendæ avidè arripiendo. Quodsi, his insuper habitis, tamen *offendas ad lapidem pedem tuum*, (m) & datæ fidei immemorem delinquere te contingat, admota leviter ad pectus manu, noxæ poenitens meliora sponde.

3. Ultimum est, ut bina per diem animi perscrutatio fiat, qua actionibus

U 4 bus

(m) Psal. 90. v. 12.

bus nostris in jus vocatis, sedulò inquiramus, an illud conceptum horis antemeridianis singulare propositum fuerit executioni mandatum? Moxque post elicitum de erratis dolorem, promissamque denuo emendationem, numerus mendorum in peculiari libello, hos ad usus speciatim parato, annotetur. Cujus industriæ is est finis, ut dein temporis pomeridiani puncta cum matutinis, dies hodierna cum hesterno, hebdomas præsens cum præterita comparari, & ex hac collatione dignosci possit, num aliquem hoc in stadio progressum faciamus; an verò eidem limo semper infixi, miserè hæreamus?

Doctrina hæc omnis non nuper primùm recens inventa, sed ex SS. Patribus suprà laudatis deprompta est, fideliterque collecta, qui exercitium hoc tanquam cœlestem panaceam contra universos omnis generis spirituales morbos suis continuò commendarunt, ejus consuetudinem etiam regulis præscripserunt, chartisque con-

signa-

signatum, tanquam opimam hereditatem posteris reliquerunt. Et id quidem prudenti consilio.

Nam singulare hoc examen est mutus quidam pedagogus, ac morum censor assiduus, qui nostro à latere nunquam discedit, quavis hora gestorum rationem exposcit, faciendorum nos commonet, & arguit erratorum. Est illud insigne *talentum*, quod peregrè proficiscens Dominus, tradidit nobis, (n) nostræque fidei excolendum commisit; & quo ingentes gratiarum, virtutumque thesauros lucrari poterimus, si modò impigrè eo usi fuerimus. Est illa probatica Solymorum piscina, cujus ope non solum, quæ prior in eam post aque motum descendit, sed quilibet & quovis tempore à quacunque detinetur infirmitate, sanus fiet, (o) modò præsentissimum hoc malis remedium constanter adhibere voluerit.

O quàm gravis ergo, quàmque severa ratio reddenda erit illi, qui tan-

U S *quam*

(n) Matth. 25. v. 14. (o) Joan. 5. v. 2.

quam pullum onagri liberum se natum putans, (p) non audivit vocem, nec suscepit disciplinam (q) hujus fidi monitoris: qui talentum hoc abiens fodit in terram, & abscondit, (r) illud sudario involutum inutili non usu computrescere sinens; quique triginta & octo annos habens in infirmitate sua, (s) & salutis margini affidens, tamen ob temerarium hujus adjumenti neglectum nunquam sanatus, eadem semper ægritudine laboravit.

O miser! surgent tunc contra te, surgent ab oriente & occidente, ab ultimis Indiæ plagis tot mercatores & trapezitæ etiam acatholici & infideles, surgent, inquam, cum suis rationum libris diurnisque commentariis, in quibus sua pecuniarum lucra & damna nullo non die ingenti solertia annotarunt, tuamque in curanda hac spiritûs negotiatione fœcordiam condemnabunt.

Sur-

(p) Job. 11. v. 12. (q) Soph. 3. v. 2.
 (r) Matth. 25. v. 18. (s) Joan. 5. v. 5.

Surgent tot beati cœlorum incolæ, qui sublatis in altum tritis suis hujus examinis libellis, cujus ope ad tantum sanctimoniam ac beatitudinis culmen eluctati sunt, surgent, ajo, & supinam tuam in ejus praxi vecordiam in ruborem dabunt. Surget denique contra te ipse cacodæmon, qui ostensis tibi, quos supervacanea scriptione per vitæ cursum maculasti, tot papyri scapis tuam tibi desidiam exprobrabit, qua vel chartulam pio huic negotio consecrare pigratus es.

Heu! quæ tua tunc confusio erit, cum cernes, illos negotiatores plus egisse pro auro, quàm tu pro DEO? cum videbis, tantum temporis te perdidisse conscribendis tot inutilibus adversariis; & nec pagellulam insumpsisse annotandis animæ noxis? cum conspicias sodales tuos, pœnitentes & discipulos hac exercitatione ad magnum perfectionis gradum conscendisse, illa N. vitia eradicasse, has N. virtutes animis insevisse? cum denique agnosces, idem etiam te agere, & quidem
tam

tam facilè potuisse, subsidia ad manus habuisse; nihil obstaculo, plurima incitamento fuisse; imò ut alii id exequerentur, etiam hortatorem existisse; & tamen (vah! desidiam gravibus pœnis dignam) & tamen id ipsum te tam temerè neglexisse, præstantissimum hoc utilissimùmque exercitium velut simplices tyronum nœnias contempsisse, post plura annorum lustra in sacro Ordine transacta, nec unicum te hac industria nœvum emendâsse, probitatem nullam obtinuisse, sub vitæ finem & post respersum multa canitie verticem æquè imperfectum te, imò deteriolem nunc esse, ac tyrocini tempore fuisti. Ad hæc quæ tibi tunc mens erit? quæ tua tunc de hoc examine æstimatio? quis ob ejus neglectiõnem animi tui dolor erit? Id ergo nunc age, quæ tunc omisisse, summo mœrori; egisse verò, ingenti solatio erit.

O magnè Patriarcha Ignati! insonat vox tua in auribus meis, qua de summo gloriæ tuæ throno illa Salomonis verba

verba mihi inclamas: *Fili mi serva hanc de examine particulari legem meam quasi pupillam oculi tui: liga eam in digitis tuis: scribe illam in tabulis cordis tui, & viues.* (t) Sic igitur, ô Pater sancte! data à te de ejus praxi monita, *ligabo in corde meo jugiter, & circumdabo gutturi meo. Cum ambulavero, gradientur mecum: cum dormiero, custodient me, & evigilans loquar cum eis.* Nam hæc tua *lex lucerna est & lux, virtutum viridaria pandens: & increpatio tuæ hujus disciplina est via vitæ,* (u) quæ nos abstrahens à vitiis, ad summum sanctitatis culmen deducit.

Proinde pereat dies illa, nec computetur in diebus anni, qua deinceps hoc examen neglexero. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & involvatur amaritudine, sub cujus initium commissa contra illud menda annotare contempsero. Hebdomadem illam occupet caligo, mensem illum obscurent

tene-

(t) Prov. 7. v. 1. (u) Prov. 6. v. 21. & seq.

tenebræ & umbra mortis, (x) quos instituta inter se collatione mutuò comparare omiserò. Fixum est: nulla dies mihi posthac effluet sine linea, parato ad id libello inducenda, ut per frequentata ejusmodi puncta illud attingam centrum, à quo linea duciter ad circulum beatæ æternitatis.

(x) Job. 3. v. 3. & seq.

